



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. I. A morte nihil admodum metuendum est in mortis articulo, sed ab  
anteactae vitae malâ Conscientiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

deserit. Fortunæ forsitan amicus is fuerit aliquando, hominis verò numquam. Non inhæreamus claræ rei vterius demonstrandæ: istud nunc ostendere est propositum, Conscientiam, cum quâ amicam familiaritatem animus sanctè coluit, numquam amicitia suæ vim exerturam efficacius, quàm cum in vltimo vitæ & mortis agone constituta anima, summis naturæ necessitatibus videretur exposita. Prout etiam vice versâ, nullo vñquam tempore magis infestam experietur is, qui, dum viueret, habuit inimicam. Multa imprimis de morte per calumniam jactitantur. Ego conuitia non morti impingenda adstruo, sed malæ vitæ. Videamus ergo, quàm sese fidelem in mortis articulo Conscientia, dum amica est, exhibeat; quo pacto inquam lætitiâ mentem demulceat: & non tantùm naturæ fatiscantis angores deliniat, sed & sæpissime ita tollat, vt voluptati maximæ sit tandem mori.

## §. I.

*A morte nihil admodum metuendum est in mortis articulo, sed ab anteaucta vitæ malâ Conscientiâ.*

**I**stud nunc tandem perspiciendum est sedulò, an tanta bonæ Conscientiæ sit præstantia, vt contra id quod in naturâ est maximè terribile, clientem suum possit obarmare tutumque reddere. An inquam sic obfirmare possit animum, vt dolores omnes angoresque mentis respuat ac repellat, quos in vltimo vitæ articulo solet ingerere tristis & amara mors.

*Mors minus est metuenda quàm vitæ.*

Tristem & amaram voco, non quòd sic appellandam ego censeam; sed quod eò nomine passim diffametur: diffamatur autem hòc nomine, quòdeam aut amaram fingimus, aut vitio nostro tristem facimus. Cæterùm rei, nihil admodum inest funesti. Tota mortis infamia est, quòd timeatur: jure an injuriâ, nihil pensi habent homines; quibus phantasticus ille metus adeo est ingenitus, vt ne, mentio quidem mortis fiat, aut nec minima mentem, illius subeat recordatio, quin illico deiiciantur oculi, & vultus in mæstitiam componantur. An ergo, inquires, nihil quidquam in morte timendum est? Non plus quàm in vitâ:  
imò

1.

2.

D. Aug.  
de discipl.  
Christia-  
na c. 12.  
to. 9.

imò & longè minus. Quidquid enim in morte amaroris aut an-  
goris perferiscitur, ex vitâ præteritâ malum traxit. Stupen-  
dam enim uerò rem, exclamat D. Augustinus! *mori malè ti-  
mes, & viuere malè non times.* An ergo peius est malè mori, quàm  
uiuere peruersè aut malè?

3. Est inquis. Etenim qui malè uiuit, non semper uiuet malè;  
datur enim pœnitudo scelerum & resipiscencia: at, qui malè mor-  
tem subit, æternùm infelix est. Quæ enim finitâ jam vitâ, da-  
tur homini anteaactæ retractio, aut morum emendatio? Ita tu  
quidem, sed ex falsâ hypothesi, argumentaris non incongruè.  
Ego enim prorsus nego, malè mori quemquam; malè tamen vi-  
uere, fateor quàm plurimos. Rursus, id etiam facilè do, plu-  
rimos mori tum cùm uiuunt malè; sed & hos tunc malè mori  
id uerò iterum diffiteor. Etenim, ut non hæreamus in ambagi-  
bus; clarè ediffere: quid tandem est mori? Sanè nihil quidquam,  
nisi vitam finire. Jam uerò istud rogo, an quæ finitur vita,  
ad Dei leges, rationisque aut Conscientiæ dictamen exacta fue-  
rit, adeoque fuerit bona: an uerò scelerata & impia? Quòd si  
honestâ vita præcesserit; profectò non nisi peruersè, mala ap-  
pellatur mors. Quid enim, si Christiani hominis quidquam in  
nobis factum est super, quid inquam optandum est magis, quàm  
in Gratia statu perseverantem, bono fine vitam concludere; &  
sic salutis, hætenus incertæ, indubiam adire hæreditatem? Cer-  
tè perseverantiæ securitatem non dat vita, dat autem mors. Non  
igitur mala potest dici, nisi per injuriam, quæ tantum homini  
confert boni.

Mors num-  
quam est  
mala. Non  
si rectè ui-  
xerit.

4. Vita uerò si peruersâ fuerit; sceleribus inquam malisque im-  
plicata; sanè cessante vitâ, cessabunt tandem aliquando scelera.  
Nihil certius. Arqui, quò pacto iterum mala mors dicitur, quæ  
malum finit, & non tam vitæ, quàm sceleribus metam ponit?  
Hoc uerò, inquires, ipsissimum est quod in morte est horri-  
cum; quòd vitam nempe malè finiat; eamque in crimine con-  
stitutam, infaustè claudat. Sic est. Sed rursus ego quæro, an  
ipsa malum faciat, quòd solum terminat? etenim malam fuisse  
vitam anteaactam, an hoc subsequens facit mors? Minimè uerò;  
sed malè agentem, in ipso scelere occupauit. An uerò fur dicen-  
dus est is, qui latronem in ipso furandi maleficio versantem, su-  
bitò deprehendit; eique iniecit manus, ne plura furto subriperet?

non etiam  
si malè ui-  
tam trans-  
egerit.

G g g g

quis

sup

Totum ma-  
lum quod  
in morte  
inuenitur,  
à vitâ an-  
tegitâ est.

quis id pro sano asserat? Atqui in scelere deprehendi te, non id quidem mortis est vitium, sed vitæ. Vitam finit mors, prout vitam inuenit; impiam an piam, id quidem mortis non est discernere. Finis itaque si malus fuerit, vitæ id imputa; quæ mala cum esset, à morte id boni tantum retulit, quod malum terminarit. Non itaque morti infamiam vllam deinceps impingito; quidquid enim in eâ est terribile, à solâ vitâ est: neque enim fieri omnino potest, vt malus sit terminus eius rei, quæ mala non erat antequam finiretur. Quod quidem clariùs dicam si asserüero, malè mori non posse, quisquis ante mortis articulum malè non vixerit.

An non tamen horrendum est, hostem Numinis de vitâ discedere, & ex mortis faucibus subitò in manus incidere viuientis Dei? Est sanè. Verùm non morti tam funestum casum, sed vitæ impropera. An enim eâ ratione nunc vitam instituis, quâ nolles à morte deprehendi? Ita si agis, tum certè ne dixeris; *O quàm terribile est emori hostem Dei!* sed, *O quàm funestum est viuere, & cum Deo, vitæ auctore, inimicitias gerere, & quidem immortales!* Nec rursus exclamaris, *O quàm horrenda sunt quæ malam mortem, sed quæ peruersam vitam manent supplicia!* Non enim te mors Deo facit inimicum: sed hostiles gerentem animos Deoque infectos, occupauit tandem mors: illudque tibi præterea præstitit beneficij, quod nec Diuinam iram sceleribus concitare possis infestius, nec tibi maiora, quàm quæ persolues, supplicia miser arcessere.

Probatior  
ex D. Ambrosio.

Certè, nequidquam amaritudinis accusatur mors, ait præclare D. Ambrosius: nam, *non mors ipsa terribilis, sed opinio de morte, quàm unusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro suâ Conscientiâ perhorrescit.* An ergo, inquires, tum saltem non liceat mortem perhorrescere, cum me Conscientia criminis & accusat, & condemnat? Hoc quidem nullus dubito: neque quidquam est terribilius, præterquam ei, cui induratum sceleribus pectus, omnem boni sensum, & salutis æternæ curam penitus ademit. Attamen subdit Ambrosius, id tibi imputa. *Suæ igitur, inquit, unusquisque Conscientiæ vulnus accuset, non mortis acerbiter.* Quid enim hanc timori nostro semper prætendimus? Nouimus sanè Conscientiæ suæ testimonio nixos quàm plurimos, ad eò mortis acerbiter non horruisse, vt ad eam, tamquam ad portum, deliciasque

5.

6.

D. Amb.  
l. de bono  
mor. c. 8.

ibid.

Ibid.

que suas, non sine summo gaudio intermixtis suspiriis anhelant. *Liquet igitur, inquit Ambrosius, quia mortis metus, non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod metuendum sit, vita nostra commisit. Veritas huius sententiæ, sæpius inculcanda est, & identidem repetitis vicibus animo repetenda dum viuimus, si veritatis huius effecta, in mortis articulo, summâ cum delectatione, volumus experiri. Ad Christiana Fidei dogmata, & æternæ vitæ principia reuocanda est mens, iisque penitus imbuendus animus: vt terroribus, quos natura, in morte aut facit, aut inuenit, longè superior, naturam corrigat; eamque ita obfirmet, vt ipsa quoque tandem metus rideat; ad quorum solam memoriam expauescebat. Id verò, quâ ratione faciat Conscientia, jam inquirimus.*

§. II.

*Quòd è corpore timeamus exire, ex futura vitæ sit ignorantia. Aliqua in morte sunt horrida, tantùm ex animæ cum corpore, diuturno & familiari nimium commercio.*

7. **E**quidem non sum adeò apathos aut Stoicus, vt aut sensum omnem naturæ detraham; aut negem, quidquam omnino esse in morte, quod sit horribile. Istud tamen assero, non esse tantos quos facit metus, vt ratione, si eam adhibes, non possint haud adeò difficulter superari: nisi naturæ malo, id est morti corporeæ, accedat malæ Conscientiæ tormentum. Nam si rationem consulimus, eaque vitam nostram & non meris appetentiis expendimus aut dimetimur; quid obsecro vita hæc, post decretoriam in Paradiso latam sententiam, nobis fert nisi miseras & dolores? Et rursus quas quæso delicias in hoc misero habemus corpore, quas non plurima fastidia interrumpunt? Quæ corporis voluptas, præsertim si sit eximia, non in tristitiam degenerat? quis risus, si sit immodicus, non melancolicâ & graui sanguinis constitutione terminatur? Nonne sollicitudines anxietatis, curæ infestæ, angores animi, amicorum defectiones, rerum euentus aduersi, atque hinc enata tædia & suspiria, passim tota est hominis mortalis vita? Nemo sanè vnus est, qui si corporis commoda solùm spectas, dicere ex

*Vita nostra  
plena miserijs est, &  
tamen a-  
matur.*